


39 QK 388. 314

v. Ponickau (X1876279)



4  
**COLLEGII  
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM  
THEORETICO-PRACTICI  
EXERCITATIO VIII.  
DE  
STATU FAMILIAE,  
ET  
IN SPECIE  
DE  
PATRIAPOTESTATE.**

quam  
permisu superiorum  
PRÆSIDE

**DN. ANDREA MYLJO, J.U. D.**

Inst. Imp. P. P. & Facultatis Juridicæ

Assessore,

placido Eruditorum examini

ad D. 22. Aprilis. Anno M DC XCVII.

proponit

**JOHANNES AUGUSTUS**


de PONIGKAU,

Eqves Misnicus

A. & R.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

LIPSIÆ, Typis KRÜGERIANIS.



# GALLIMAGNI FUNDATORE

# ИЕРАРХИЧОСКАЯ ГАД

et multo inquit uniusmodi

ВАЛЯВА

С.И.ОЛІМПІАДОМА.ІО

intimus et intercitus Gebügel

AND OCEAN CITY, S. C. 1865.

SUZUKI YOSHIOKA

# ЗАНОВО в

RECORDED AND INDEXED - APRIL 1891





I. N. J.

COLLEGII  
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM,  
THEORETICO-PRACTICI

*EXERCITATIO VIII.*

DE

STATU FAMILIAE,

ET  
IN SPECIE

DE

PATRIA POTESTATE,

I.



Tsi alias Familiae verbum modo rem veluti hereditatem, *I. fin. C. d. V. S.* modo personam denotet, atque in posteriori significatione vel pro singulis personis, vel collectivè Pro corpore, unius patris familias potestati subiecto, aut tali, quod est ejusdem cognationis

De verbo  
Familiae.

De genitivo  
p. 9

A 2

acci-

Quid sit  
Familia.

accipiatur; l. 195. §. 1. & 2. ff. d. V. S. hic tamen nihil est aliud, quam conditio, ex qua homo vel sui vel alieni est juris. Quid sui juris est, praesenter loco (nam de dominica potestate supra satis fuit actum) patrem familias designat. Sed qui est alieni juris, filium familias denotat. l. 4. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt. Patres familias dicuntur, qui suae sunt potestatis, sive puberes, sive impuberes. Filii familias vero, qui sunt in patria potestate. d. ll. 195. ff. d. V. S.

## III. F. UTAT<sup>2</sup>

Unde ap-  
pelletur

P. P.

Eius Syno-  
nymia.

Definitio  
P. P.

De Genere.

Dicta est Patria potestas quasi proprietas, quam patres habent in liberos, secundum quam ex jure Quiritium hi vindicari potuerunt. l. 1. §. 2. ff. de R. V. C. U. J. A. C. in ff. C. d. P. P. part. I. cap. II. §. 1. & ex eo JOH. OTTO TABOR tr. d. P. P. p. I. cap. I. Vocatur alias manus paterna. l. I. §. 3. C. d. annali except. nexus paternus. l. 6. §. 3. C. d. bon. quae lib. vinculum familiæ. l. 87. ff. d. A. vel O. H. nec non vinculum potestatis. l. 17. C. d. donat. & est nihil aliud quam jus patri liberis legitimis ad communem familiæ utilitatem legali modo imperandi, competens. III.

Generis loco jus ponitur. l. 3. ff. d. his qui sui vel



*vel alien. iur sunt. qvod facultatem significat  
vide GROT. d. J. B. & P. lib. I. cap. I. ibique  
BÖ CLERUM p. m. 80. & seqq. sive potesta-  
tem, moralem scil. PUFEND. in element. Ju-  
rispr. lib. I. def. 14. eamque non publicam,  
qvalis in personā magistratum designat im-  
perium, i.e. jurisdictionem l. 12. §. I. ff. d. judi-  
cias [cum nullus unquam detur] Magistratus sih  
ne imperio eo sc. qvod ad sua munera tuenda  
est necessarium SCIPSO GENT. d. Idic. lib. 2.  
cap. 2. sed privatam, inter privatas personas  
agi solitam, l. 215. ff. d. V. S. PUFEND. d. tr.  
def. 7. §. 2.*

#### IV.

Istud Imperium parentibus eo ipso impomi-  
tur, dum naturalis stimulus, sic loquente Impe-  
ratore in l. un. §. taceat. C. d. R. U. A. eos horta-  
tur ad liberorum educationem l. I. §. pen. ff. d.  
J. & J. pr. J. de J. N. G. & C. Qvod enim genuit,  
imperat, inquit ARIST. lib. 7. polit. cap. 8.  
Quæcum citra facultatem liberorum actiones  
ad horum salutē dirigendi exerceri non possit;  
ideo præsumitur, liberos quoque id ita voluisse,  
taciteque in illud imperium consensisse PUFEND. d. J. N. G. & C. lib. 6. cap. 2. §. 4. Sed cum  
illud nullis limitibus esset circumspectum, ve-  
rendumque ne in vagam erumperet licentiam,  
acut insimul familiarum amplitudini consule-  
retur & dignitati, quippe ex quâ totius quoque

Origo

A 3:

Rei-

Reipubl. amplitudo & dignitas metienda est &  
æstimanda; idcirco jus civile certis finib⁹ id ipsū  
coangustavit, multa nempe singularia aliis na-  
tionibus incognita, ut: legitimationes, adopti-  
ones, emancipationes, substitutiones pupil-  
lares, suitates &c. eidem tribuendo. Qvod fa-  
ctum primò à Romulo, si Dionys. Halicarn. cre-  
dimus, deinde moribus fuit recepta, l. 8. ff. d. his  
*qui sui vel alieni jur. sunt*. & tandem à Decem-  
viris in 12. tabb. relata. ULPIAN. in fragm. Tit.  
10. pr. Unde merito juri civili adscribitur. Qvo  
sensu rectè dicitur: *Jus potestatis, quod in liberos*  
*habemus, proprium est civium Romanorum.*  
Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos  
habent potestatem, quam nos habemus. in l. 3. ff.  
d. his *qui sui vel alieni jur. sunt* §. 2. J. d. P. P.  
Qvæ tamen sic accipienda, ut potestatis hujus  
fundamentum nihilominus juri naturæ & gen-  
tium tribuatur. ALPERICUS GENTILIS  
tr. d. nuptiis lib. 4. cap. 1. HAHN. ad WESEN-  
BEC. ad Tit. de his *qui sui vel alieni jur.* ENEN-  
CKEL. de privil. par. & liber. prio. 1. cap. 3. quo  
pertinet quod Imp. in l. 10 C. de adopt. jura pa-  
tris naturalis nexu divino copulata esse adfir-  
met. Neque enim est novum, ut eadem res à  
diverso jure veniat. Qvod FRANZKIUS in  
exercit. 5. qv. 1. omnium elegantissimè sic decla-  
rat: *Quando queritur, inquit, num hoc vel illud*  
*ex jure gentium vel civilis, non hanc habet si-*  
*gnificationem, quasi illud quod asseritur esse juris*  
*gentium*



gentium, nullo modo juri civili, & contra, quod  
juris civilis, nullo modo juri gentium vel naturae  
cognitum sit, alioquin pauca habebimus in jure  
nostro, quae dici possent mere civilia. Sed quan-  
do jus civile & gentium circa productionem ali-  
cujus effectus tanquam causae sociæ concurrunt,  
totus effectus, tametsi utrumque jus respiciat, al-  
teri solum adscribi solet juri, quod majorem vim  
in effiendo contribuit, alteri non æquè, et si e-  
jus efficaciam non omnino acqüieverit. Nempe po-  
test aliquid esse cognitum juri gentium, ut nihil  
ominus illud dicatur esse ex jure naturae vel gen-  
tium. Hæc ille. An vero hodiernis juribus An hodie in  
conveniat patria potestas? videndum. Sanè usu salva-  
non desunt, qui eam in desuetudinem abiisse exi-  
stiment, VINN. & GRÖNEWEGEN ad §. pen.  
J. d. P. P. in fin. GUDELINUS d. jure noviss. l.  
1. cap. 13. in vs. quod moribus. Quod quanquam  
admitti possit quoad exterorum jura, in nostro  
tamen Imperio aliud observari patet oculariter  
ex R. J. de A. O. 1548, Tit. von Sacrament der Ehe  
§. Darumb die Väterliche gewalt. Reform.  
Francof. p. 2. Tit. I. §. 9. ibi: Nachdem obgemelte  
alte Rechte den väterlichen gewalt besagend/ ob  
sie wohl nicht abgeschafft/ sondern in ihren Win-  
den und Kräften gelassen/ doch ungleich gehal-  
ten. Illud ex dictis suapte sequitur semper fi-  
lium præsumi existere in potestate patriæ l. 8.  
ff. de probat. Tale enim quodque præsumitur  
esse, quale natura & legibus esse jubetur. Al-  
legans



legans igitur emancipationem, eandem probare cogitur.

V.

Constitutum vero est a jure, ut tribus diversis modis acquiratur haec potestas, nempe

(1.) procreatione liberorum ex justis nuptiis.

2. legitimatione 3. adoptione. De quibus singulis in sequentibus Exercitationibus peculiariter agendum.

VI.

Qvibus haec potestates primi & ulterioris gradus, ut avus & proavus paternus, ac deinceps cæteri, naturales & adoptivi pr. J. d. adopt. ut & legitimatores §. fin, J. d. nupt. qvam furiosi facti retinent. l. 8. ff. d. his qui sui vel alien. jur. siqvidem furor superveniens nullum jus tollere aut abrogare potest, modo a patre justæ sint contraetæ nuptiæ. l. 5. ff. de in jus vocando. Neque enim ex incestu, adulterio, concubinatu, aliave illicitâ conjugatione patria potestas. qværi potest v. l. 37. ff. d. minor. Matri vero, ut & avo vel proavo materno, hoc jus denegatur. §. 10. I. d. adopt. quia in his qvæ sunt civilia, ut potestas, familia, dignitas, liberi non matrem sed patrem seqvuntur. l. 15. l. 29. ff. de statu hom. nisi qvod una omnibus parentibus sit servanda reverentia. l. 5. ff. d. in jus vocando. Et pietas l. 1. §. 2. l. 10. in fin. ff. d. obsequ. parent. Et patr. præst. & obtemperatio. l. 2. ff. d. l. & l. Egrum personam sanctam & honestam habeamus l. 9. ff. d. obsequ. parent.



parent. & patr. præst. illisqve, cuiuscunqve sint  
conditionis, benefaciamus l. 4. pr. §. 2. & 4. ff. de  
agnosc. vel aledd. lib. Eapropter militiâ indignus  
fuit judicatus, qvi patrem & matrem, à qvibus  
se educatum dixerit maleficos appellaverit l. i.  
§. fin. ff. d. obseqv. parent. & patr. præst. Nec  
porro coinqpetit hæc potestas his, qvi ipsi sunt in  
potestate. Nam qvi suæ potestatis non est, in  
potestate habere non videtur l. 21. ff. ad L. Iul.  
d. adult. qvemadmodum nec possidere intelli-  
gitur, qvi ipse possidetur l. 5. §. fin. ff. d. A. R. D.

## VII.

In potestate patrum sunt liberi utriusqve De personis  
sexus l. i. §. pen. ff. d. tribut. act. qvo ex justis nu- in P.P. exi-  
ptiis procreavimus. l. 3. ff. d. his qvi sui vel alien. stentibus.  
jur. pr. I. d. P. P. unde & filium cum definimus  
qui ex viro & legitima ejus uxore nascitur. l. 6.  
ff. d. his qvi sui vel alien. Ubi notandum, accipe-  
re hic J C tum verbum: filii non naturaliter, sed  
in civili significatione pro eo, qvi ob legis dispo-  
sitionem peculiari nomine Filius familiæ ap-  
pellatur. Tanta namqve est virtus legis, ut ali-  
is quantumvis in familiâ non natis, natorum  
tamen ac simul legitimorum jura tribuat. Et  
ideo Filios familiæ non solum natura, verum &  
adoptiones faciunt, l. i. pr. ff. d. adopt. pr. I. eod Un-  
de qvoqve legitimatis jura patriæ potestatis  
tribuuntur. §. fin. I. d. nupt. l. i. l. II. C. de natural.  
lib. qvia simili cum legitime natis perfruuntur  
fortuna l. 10. in fin. C. eod: Nov. 89. cap. 8. Interest  
enim

B



enim Reipubl. eam legitimis potius repleri hominibus, quam ut memoria turpitudinis parentum in liberis illegitimè natis relinqvatur.  
*d. Nov. 89. cap. 9. pr. in fin. præsertim cum natis imputari nihil possit, sed immo sæpiissimè magnis ingenii dotibus natura ipsa hunc defectum compenset TREUTL. disp. 2. p. 1. th. 6. lit. a.*

Porrò liberi hic intelligendi sunt, non primitum gradus utriusque sexus; verum etiam secundi, nepotes scilicet & neptes *t. 56. §. 1. ff.*

*d. V. S.* Nepotes tamen non omnes, sed ex filio saltent. Qui igitur ex te & uxore tua nascitur, in tua potestate est. Item qui ex filio tuo & uxore ejus nascitur, id est nepos tuus & neptis æquè in tua sunt potestate, & pronepos & proneptis & deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum §. fin. *L. de P. P.* Sed hodie nepotes nunquam in avi, sed patris sui potestate existunt. RAUCHBAR. p. 2. qv. 18. n. 24. HERING. d. fidejuss. cap. 7. n. 6. 21. Filii enim instituendo propriam familiam fiunt sui juris, ut ideo alium in suâ potestate habere omnino possint, atque ita nunc cesset ratio propter quam antea nepos in sui patris potestate esse non potuit.

### VIII.

De his qui  
non existunt  
in P.P.

Quibus ita positis, facile patet, qui removeri debeant à patria potestate, quod fit. i. in ser-

servis, ne serviles familiæ misceantur ingenui-  
is, neve in potestate privati sit aliquem natali-  
bus restituere, quamvis adoptione servi liber-  
tas in eñi collata intelligatur §. fin. f. d. adopt. 2. in  
peregrinis ULPIANUS Tit. 10. §. si pater.  
sunt enim ἀτολιδες hoc est sine civitate l. 17.  
§. 1. ff. d. pœnis. sed horum liberis bona paterna  
conseruantur Nov. 134. cap. fin. l. fin. §. 3. ff. d.  
bon. Namn. 3. in his, qui ipsi sunt in patria po-  
testate, nam hi alium in sua potestate habere  
nequeunt. l. 21. ff. ad L. Jul. d. adulter. licet sint  
milites. l. 7. C. d. P. P. 4. Qui extra justas nu-  
ptias sunt suscepiti. Tales namque habentur,  
quantum ad patriam potestatem pertinet, qua-  
les sunt ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec  
hi patrem habere intelliguntur, cum & his pater  
incertus sit, unde solent spurii appellari ταξι-  
την σποραν & ἀτωτωρες, quasi sine patre filii.  
§. 12. J. d. nuptiis. 5. In utero existentes l. fin.  
ibi: antequam nascatur non potest dici in potesta-  
te morientis fuisse, ff. d. collat. bon. l. 1. §. 2. & l. 37.  
§. pen. ff. d. operis libertorum. Aliis enim, an-  
tequam nascantur, non prosunt, l. 7. ff. d. stat.  
hominum.

## IX.

Id per quod patria potestas est, quod est, & ab ali- Ratio for-  
is potestatis distinguitur, in jure patri liberis malis.  
B. 2. minimaq; legi-  
vocatis

legitimis ad communem familiæ utilitatem  
imperandi, legali modo competenti consi-  
stit. vid. th. II. in fin.

X.

Effectus.

Communes  
patris &  
filii.  
De fictione  
unitatis.  
Regula pro-  
ponitur.

Effectus hujus potestatis vel sunt com-  
munes patris & filii, vel alterutri proprii. Ad  
communes pertinet fictio unitatis, qua pater  
& filius una persona habentur, l. fin. C. d. Imp. &  
aliis subst. Nam vox patris est vox filii, & vice  
versa §. 4. in fin. J. d. inutil. stipul. & est filius  
quodammodo pars corporis paterni, ut ubi sit  
pater, videatur & filius esse. l. cum scimus. §.  
fin. C. d. agric. & cons. Ideo inutilis est stipu-  
latio, si vel ab eo stipuleris, qui tuo juri subjectus  
est, vel si is a te stipuletur. §. 6. J. d. inutil. stipul.  
l. 50. ff. ad. Sct. Trebell. vs. nam quia cautiones.  
Et pater filium, vel filius patrem adhibens te-  
stem in testamento, nihil agitur. §. 8. I. d. testam.  
ord. nisi filius testetur ante missiōnē jure mili-  
tari l. 20. §. 7. ff. qui test. fac. poss. quia ita nulla  
desideratur solennitas, & jure Gentium potius,  
quam civili sustinetur tale testamentum. Por-  
ro lis nulla esse potest inter patrem & filium.  
l. 4. ff. d. judiciis unde ne cum filiis familias pa-  
ter furti agere possit, non juris constitutio, sed  
naturae rei impedimento est, quod non magis cum  
his, quot in potestate habemus, quam nobiscum  
ipsi agere possumus. l. 16. ff. d. furtis. Et ideo fili-  
um adoptivum, quamdiu in patris potestate est  
vocare

vocare patrem in jus non posse, jure magis po-  
testatis quam præcepto Prætoris denegatur.  
*l. 8. ff. d. in jus vocando*, Cujus consectarium  
est, ut si a me fuerit arrogatus, qui mecum erat li-  
tem contestatus, vel cum quo ego, solvi judicium  
Marcellus scribit, quoniam nec ab initio inter  
nos potuit consistere. *l. 11. ff. d. judiciis.* Proinde  
fieri non potest, ut filiofamilias pater donare  
possit. *l. 31. ff. s. pater. ff. de donat. l. 2. C. d. inoff. donat.* Ac licet alias jusjurandum sit valde quid  
personale ex parte jurantis, tamen, si juraverit  
filius familias patrem dare non oportere, patri  
exceptio jurisjurandi acquiritur. *l. fin. ff. d. except.* *l. 2. ff. quarum rerum actio non detur.*  
Sed quæ huicusque de unitatis fictione, inter pa-  
trem & filium occurrente, fuerunt proposita,  
ita denuum locum habent, si negotium de quo  
agitur inter patrem & filium vertatur; Lou-  
gē aliter se res habet, si uterque cum tertio ex-  
periatur; nam hoc modo initia negotia effe-  
ctu suo non destitui, inde patet, quod ad ali-  
ena prædicta fictio se non extendat. Placet,  
igitur *ex unâ domo plures testes negotio alieno*  
*adhiberi posse*, uti scripsit Imp. in §. 8. *I. de:*  
*testam. ord.* Deinde prædicta fictio saltem ha-  
bet locum in iis quæ juris sunt, non quæ facti  
habentur. Ad hæc enim fictiones juris civilis  
non accommodantur. *l. 19. ff. ex quib. caus.*  
*maj. l. 12. §. facti: ff. d. capt. vel. postl. revers. l.*  
*44. ff. d. C. & D.*

XI.

Effectus  
proprii.

Effectus proprii considerantur vel respectu patris vel filii. Et utroque tum in commodis tum in oneribus spectantur.

XII.

De parte pa-  
tris ratione  
commodi.  
Dei jure pa-  
tris in bona  
filii.

Ratione patris duplex occurrit com-  
modum, alterum bona, alterum personam  
fam: respicit. Bona quod attinet, ea unde-  
tris in bona cunque, exceptis videlicet castrensis pecu-  
liis, erant profecta, omnia parentibus suis acqui-  
rebāt filii sine aula distinctione, & hoc ita paren-  
tum fiebat, ut etiam iis esset licentia, quod per  
unum vel unam eorum acquisitum esset, alii filio  
vel extraneo donare, vel vendere, vel quocun-  
que modo voluerant applicare §. I. I. per quas  
pers. cuique acquiritur. Sed & ignorantī patri  
hæc acquiruntur, & ipso jure, ut nec momento  
aliquo subsistant in persona ejus, per quem ac-  
quiritur, l. 79. ff. d. acquir. vel. omitt. hered.  
Novo autem jure ista acquisitio promiscua, ad-  
hibita peculiorum distinctione, limitata fuit &  
definita in §. I. I. per quas pers. cuique acquir. cu-  
jus modus infra peculiari exercitatione suo lo-  
co veniet describendus.

XIII.

De jure pa-  
tris in perso-  
nam filii.

Sed quod personam filii concernit, ve-  
rum est olim potestatem in eum patri com-  
petentem fuisse infinitam. Nam L. Romuli

XVII.

XVII. cautum erat: Parentum liberos omne jus esto relegandi, vendendi, & occidendi. Cujus aliqua pars in L.L. 12. tabb. fuit relata, dum ibi sanctum legitur: Parentibus liberos ter vendendi jus atque potestas esto. Unde PAULUS noster fatetur, non minus licuisse occidere, quam exheredare filium familiias in l. II. ff. d. lib. & posth. Et olim patri fuisse jus vitae & necis in filium, CONSTANTINUS ait in l. fin. C. d. P. P. Certè notabile est, quod P. P. non tantum par & æqvalis fuerit potestati herili in servos, sed in quibusdam etiam major. Ut ecce servus a domino venditus, & postea manumissus, erat & manebat sui juris. At filius fam. a patre venditus si liber dimitteretur ab emptore, rursus recidebat in potestatem patris, & post tertiam demum venditionem plane exhibat ex potestate, & sui juris fiebat. RITTERSHUS. ad L.L. 12. tabb. Chass. 3. p. 1. cap. 1. Duravit hoc jus diu valde, & demum tempore DIOCLETIANI id cum jure vendendi sublatum esse multi existimant. Nam ex l. I. ff. d. L. Pompei. d. parricid. ubi mater filium occidens L. Pompeia teneri dicitur, patris nulla mentione facta: illa tempestate patribus jus vitae & necis adhuc durasse colligit JAC. CUJACIUS lib. 6. Obs. cap. 17. Certè hanc asperitatem nova hominum conversatio, ut loquitur Imp. in §. fin. I. d. noxal. oct. correxit, cum officium patris.

non

De jure  
vendendi.



non in pietate sed in atrocitate consistat l. 5. ff.  
ad L. Pomp. de parricidiis. ita ut filium delin-  
quentem pater non possit amplius occidere,  
vetante id CONSTANTINO IMPER-  
ATORE, in l. un. C. d. his qui parentes vel  
lib. occid. Nec enim singulis est concedendum  
quod publicè per magistratus fieri debet. l. 176.  
d. R. I. Et meritis magis filios ad paterna ob-  
sequia provocandos, quam pactionibus adstrin-  
gendo aut metu & vi retinendos esse ait Imp.  
in l. 35. C. d. in off. testam. ENENCKEL.  
d. privil. par. & lib. priv. l. cap. l. n. 5. & seqq.  
Sed deferat eum ad judicem, qui de causa co-  
gnoscere, l. 2. ff. ad L. Corn. d. sic. l. 9. §. 3. de off.  
proconss. & ex ejus voluntate sententiam ferre  
debet. l. 3. Cod. d. P. P. quia ut ait SENECA  
lib. 3. d. benefic. cap. II. patres liberis sunt. quasi do-  
mestici magistratus, & nemo etiam moderatius  
patre animadverteret, quod in judice bene ob-  
servandum, cuius officio convenit, ut ad hibi-  
tâ legum interpretatione pœnæ potius molliri de-  
beant, quam ex asperari. l. pen. ff. d. pœnis  
Ipsi quoque patri permittitur filios immori-  
geros verbis, verberibusque castigare, & imo  
in certo conclavi clausos habere, ut nulla car-  
ceris privati metuenda sit pœna. GARpz.  
in pr. crim. p. 2. qv. C. n. 30.

#### XIV.

De jure ven-  
dredi.

Alterum jus patri in personam filio  
com-

competens in jure vendendi consistit. Quā  
in parte etiam jus antiquum secerni debet à  
novo. Olim promiscua venditio concessa  
fuit patribus. *v. L. Romuli in th. anteced. re-*  
*latam.* Non tamen ita, ut ne unquam ven-  
ditus filius manumitteretur. *v. l. fin. C. d.*  
*emancip. lib. ALBER. GENT. d. nupt.*  
*lib. 4. p. m. 361.* Postea constituerunt Impp.  
Diocletianus atque Maximianus; *Liber-*  
*ros à parentibus neque venditionis, neque do-*  
*nationis titulo, neque pignoris jure, aut alio*  
*qvolibet modo, neo sub prætextu ignorantiae*  
*accipientis, in alium transferri posse, in l. I.*  
*C. d. patrib. qvi filios suos distrax.* Inhu-  
manum enim visum fuit liberorum homi-  
num dari alienationem. *l. 6. pr. l. 34. §. 2. l.*  
*70. ff. d. contrah. empt. vend.* Excepto casu  
inopiae, propter quam Constantinus in *l. fin.*  
*C. d. patr. qvi fil. permisit, ut liceat filium*  
*filiamve sangvinolentos, h. e. recens natos &*  
adhuc à matre rubentes ( sed alii legunt *sang-*  
*vinolentus* ita ut hoc verbum de patre cru-  
deli accipi, & textus etiam ad liberos natu-  
grandiores referri possit PINELLUS in  
rubr, *C. d. bonis maternis. p. 2. n. 28. AL-*  
*BER. GENTIL. d. l. p. m. 358.*) vendere,  
qvi tamen in suam iterum ingenuitatem  
restituto emptori pretio, aut alio oblato man-  
cipio asseri possunt, adeo, ut eo nomine pa-  
ter à filio conveniri possit BARBOS. *ad d.*

C

*l. fin.*

*l. fin. C. d. patr. qvi filios distrax.* Qvæ de venditione dicta, ad permutationem quoque extendit PINELL. in rubr. *C. de bon. mat. pr. n. 26.* & recte quidem. Licet enim alias ea quæ contra constitutionem juris sunt introducta, non sint producenda ad consequentias *l. 14. ff. d. LL. l. 141. ff. d. R. J.* illud tamen ad ea quæ in alicujus (uti hoc loco parentis) favorem sunt introducta, referri non debet, ubi receptum, fieri posse extensionem, in eadem persona quoad significationem verborum, ut nimirum naturalis & stricta proprietas porrigatur ad civilem & latam. FRANZ. in *Tit. ff. d. LL. n. 60.* quod maximè in *venditionis* verbo procedit, quod tam latè patet, ut ambitu suo quascunque acquisitiones vel alienationes rerum, quæ sunt in commertio, imprimis vero permutationem comprehendat, *l. 1. §. 1. ff. d. contrah. empt.* REB-HAHN, in *Hodeg. jur. Chart. III. Clm-IV. n. 3.*

## XV.

An matri ius vendendi libendi necessario excludo. Nam & nimia beros in casu paupertas ac egestas, quæ sola estratio hujus iuris concedendi in *d. l fin. C. d. patrib. qvi fil.* æquè in matres atq; in patres cadit, & alimenta utriq; parentum ex charitate sanguinis æqualiter debentur. *l. 5. §. 1. 2. ff. d. agnosc. vel alend. lib. l fin. §. 5. Cod. d. bon. qvæ lib.* & denique Imp. in *d. l fin.* utitur vocabulo *si quis,* quod generale est, tam

æ de  
oqve  
mat.  
alias  
t in-  
qven-  
d ta-  
o pa-  
i non  
nem.  
n ver-  
pro-  
am.  
l ma-  
tam  
qvisi-  
nt in  
onem  
REB-  
3.  
  
tam  
ven-  
imia  
is ju-  
eqvē  
utriq;  
r de-  
l fin.  
n d.l.  
e est,  
tam

tam masculos qvam fœminas comprehen-  
dens. *l. 1. ff. d. V. S. l. 3. §. 1. ff. d. neg. gest.*  
Pronunciatio enim sermonis in sexu mascu-  
lino ad utrumque sexum plerumque porrigi-  
tur. *l. 195. pr. ff. d. V. S.* Nec qvicqvam in  
contrarium facit, qvod matri non competat  
patria potestas. *§. 10. J. d. adopt.* qvia non illa  
potestas, sed ut dixi extrema necessitas causam  
hujus venditionis constituit. Sed nec qven-  
qvam movere debet, qvod scriptum extat in  
*l. 26. C. d. transact. transactione sc. matris filios*  
*non posse fieri servos.* qvia id ad jus regulare  
& ordinarium est referendum, & idcirco  
hanc dispositionem evertere non potest, enim  
intoto jure generi per speciem derogatur,  
& illud potissimum obtinet, qvod ad speciem  
est directum. *l. 80. ff. d. R. J. FORSTER.*  
*disp. just. 3. th. 14. dissent. ARUM. Exerc. 2.*  
*th. 3. PEREZ. in Tit. C. d. patr. qui fil.*  
*distrax. n. 2.*

## XVI.

Sed hæc ita in jure Romano. Hodie <sup>Jus hodier-</sup>  
<sup>num circa</sup> enim patribus nullo modo, & ne quidem in <sup>necessariam</sup> liberorum  
casu necessitatis filios distrahere licere, com-  
munis est sententia. PEREZ. *d. l. n. fin. venditio-*  
*MORNACIUS & GROENWEG. d. LL.* nem,  
*abrog. ad l. 2. C. d. patr. qui filios.* Magistratu-  
um potius hæc cura esto, ut ad pauperum mi-  
seriam relevandam certa loca, certis redditibus  
dotata constituant, constituta conservent, &



augeant. Quare nunquam satis laudandæ  
sunt duæ illæ Constantini constitutiones,  
*in Cod. Theod. sub. rubr. d. alimentis, quæ inopes*  
*parentes de publico petere debent, relatæ, dignæ*  
*certe qui hic exhibeantur.* Et illa quidem  
quæ ad Africam scripta fuit, hujus est tenoris:  
Æreis tabulis, vel cerussatis aut linteis mappis,  
scripta per omnes civitates Italiæ proponatur  
lex, quæ parentum manus à parricidio arceat,  
votumque vertat in melius: Officiumque tuum  
hæc cura perstringat: Ut si quis parens ad ferat  
subolem quæsn pro paupertate educare non pos-  
sit, nec in alimentis, nec in ueste in pertiendâ tar-  
detur, cum educatio nascentis infantiae moras  
ferre non possit: Ad quam rem & fiscum no-  
strum, & rem privatam indiscretæ jussimus præ-  
bere obsequia. Altera ad Italiam directa ita se  
habet: Provinciales egestate vicius utique ali-  
moniæ inopiæ laborantes, liberos suos vendere  
vel oppignorare cognovimus: Quisquis igitur  
hujusmodi repperietur, qui nullâ rei familiaris  
substantia fultus est, qui que liberos suos ægrè  
ac difficile sustentet, per fisconm nostrum, ante-  
quam fiat calamitati obnoxius, adjuvetur. Ita  
ut Proconsules, Praesidesque & rationales per  
universam Africam habeant potestatem, &  
universos quos adjuverint in egestate misera-  
bili constitutos, stipem necessariam largiantur,  
atque ex horreo substantiam tribuant eom-  
petentem: Abhorret enim nostris moribus, ut  
qven-

quenquam fame confici, vel ad indignum faci-  
nus prorumpere concedamus. Utraque [ nam  
locales fuerunt hæ constitutiones ] abest à Co-  
dice Justinianeo. JACOB GOTHOFREDI. d. l.

## XVII.

Præterea his commodis quoad patrem  
annumeranda sunt sequentia, quod pater filium  
etiam renuentem & ab aliquo retentum repe-  
tere, vindicare l. i. §. i. ff. d. R. V. & adversus  
detentores præjudiciis, interdictis, cognitione  
Prætoriâ, & actione ad exhibendum & dedu-  
cendum uti possit. l. i. §. i. ff. d. R. V. l. i. §. poss  
*Edictum ff. de ventre inspiciendo*, l. i. l. 3. ff. ad  
exhib. item quod habeat facultatem dandi tu-  
tores in testamento. l. i. ff. d. testam. tut. §. 3. &  
seqq. J. d. tut. substituendi pupillariter l. 2.  
ff. d. V. & R. S. pr. J. eod. & liberos vel heredes  
instituendi vel nominatim exheredandi. pr. J.  
d. exher. lib. Sed nec actione dolii. l. II. ff. l. 5.  
C. d. dolo malo, nec injuriarum, l. 2. ff. d. obse-  
qu. parent. & patr. præst. nec de servo corrupto  
l. 6. ff. eod. nec interdicto unde vi l. 2. l. 7. §. 2. l. 1.  
§. 43. ff. d. vi & vi armatâ, nec nulla alia actione  
quæ famam & existimationem ejus lædit, à filio  
est conveniendus. Nec porro de calumnia  
jurare cogitur l. 7. §. 3. ff. d. obsequ. par. & patr.  
præst. nec in solidum condemnari potest §. 38.  
J. d. actionibus sed ei relinquenda est portio  
congrua l. 30. ff. d. re jud. pro alimentis quoti-  
dianis. l. 6. ff. d. cess. bon. Sufficit etiam ut qua-  
liscunque fidejussor pro patre accipiatur, l. 2. §.

Recensetur  
plura com-  
moda P.P.

2.3. ff. qui satis d. cog. Denique filius factio patris non debet contravenire. l. 14. C. d. R. V. & ideo adversus patrem in integrum non restituitur. l. fin. C. qui & adv. quos. nec feudi à patre alienati revocandi, neque id repudiata hereditate retinendi jus habet. 2. F. 45. Fatendum tamen omnino est, non omnes effectus hic recensitos à patria potestate ut tali, sed quosdam saltem à solâ reverentia, cum matre communicabili, & in liberos sui juris cadente, dependere. Qvia tamen potestatem illam multum illustrant, ideo omittere nos hic volui.

### XVIII.

Adducuntur onera patris.

Sed pro istis commodis onera quoque aliqua pater subire tenetur. Neque enim ferrendus est, qui lucrum quidem amplectitur, damnum autem ferre recusat. l. un. C. d. cad. toll. Tenetor itaque pater maximè in compensationem bonorum per liberos acquisitorum his præstare alimenta, nempe victum, amictum, teatum. l. 6. C. fin, ff. d. alim. & cib. leg. l. 43. ff. d. S. & cætera quibus tuendi curandive grati utimur. l. 44. eod. pro modo facultatum. l. 5. §. 7. ff. l. 4. 6. eod. ac dignitate dantium & accipientium. l. 1. §. 19 ff. d. ventr. in possessi. mitt. l. 12. §. 3. ff. d. adm. tut. Causæ alimentorum cohæret dus. Illi enim dotandi incumbit nec ssitas, qui liberos habet in potestate l. 19. ff. d. R. N. Igitur avus vi vo patre neptem dotare tenetur. l. 6. ff. d. collat. l. 7. & fin. ff. d. in rem verso. Idem dicendum si pater est sui juris factus post conceptionem filiæ. §. pen.

*pen. J. quib. m. i. p. p. f.* Ea propter quia hodie si-  
lia per nuptias liberatur à patria potestate *R. J.*  
*d. Anno. 1548. Rubr. von Sacrament der Ehe* §.  
Darumb ibi: Dann der väterliche Gewalt die-  
ser Vereinigung des Ehestandes von rechts we-  
gen weichen muß/ & in *Const. Sax. 10. p. 12.* ibi: wie  
es bis hero in Gebrauch gehalten/ daß die Kin-  
der aus der väterlichen Gewalt kommen seyn/  
ideo, si denuo nubat, dotem ei pater denegare  
potest, cum illa emancipatae non debeatur. *L. s.*  
§. 12. l. 44. l. 51. ff. *b. t.* Non leve incommodum  
patrem quoque sequitur, quod ex filiorum con-  
tractibus contra communis juris Regulas, va-  
riis conveniri possit actionibus. *t. t. J. quod cum*  
*eo qui in aliorum potestate est. neg. gest.* sed id  
latius perseqvi, præsentis instituti ratio non  
permittit; magis est ut hujus ubiorem rei ex-  
positionem in tractatum de actionibus rejiciam⁹.

## XIX.

Hæc de effectibus P. P. quoad Patrem ; Effectus  
Commoda autem quæ filius familias conse- propriae ex  
quitur, in eo consistunt, quod patris sui honores, parte filii  
dignitatem & familiam sequatur *l. i.* §. *qui ex*  
*duobus ff. ad municip. l. 24. ff. de statu hom. MYLE-*  
*RUS ab EHRENBACH. d. princip. & stat. Imp.*  
*Rom. Germ. p. 1. 35.* alimēta accipiat, & defensione  
paternā fruatur. Spectat enim ad patrem injuria,  
quæ in his fit, qui potestati nostræ subjetti sunt.  
*l. i. §. 3. ff. d. injuriis & pater solus vel ex suo vel*  
filii capite actionem exercet. *FR. BALDUIN.*  
*ad S. 2. J. d. injuriis, sive sciat quis filium meum*  
*esse,*

A K T K 762

esse, sive ignoret. d.l.i. §.8. ff. eod. sufficit enim in genere scire injuriatum esse filiumfamilias. l.18. §. fin. ff. eod. Usque adeò autem injuria, qvæ fit liberis nostris nostrum pudorem pertingit, ut etiamsi volentem filium qvis vendiderit, patri suo quidem nomine competit actio injuriarum, filii vero nomine non competit, qvia nulla injuria est, qvæ in volentem fit. l.i. §.5. ff. eod. Insuper si mutuam accepit pecuniam, ad eam restituendam efficaciter conveniri non potest filiusfamilias, sed exceptione Scti Macedoniani oppositâ validè se defendit. t.t. ff. & C. ad Sct. Mace.


## XX.

Neqve tamen ista commoda suis sunt destituta Oneribus, siquidem pro certo habetur, filiumfamilias nihil suum habere, omniaque patri acquirere, sine ejus consensu nec nuptias contrahere. l.2. ff. d.R.N.pr.J.d.Nupt. nec intuitu bonorum adventitiorum actiones exercere. l.6. C.d.bon.qv.lib-nec factis ab eo filii nomine susceptis contravenire posse, quæ ut & plura alia ad hanc rem pertinentia ex effectibus in persona patris occurribus facile colligi possunt.

## XXI.

Denique subjici potuissent modi P.P. potestatem dissolvendi, verum qvia de his peculiaris formabitur exercitatio, ideo hic pedem figo.

SOLI DEO GLORIA.



107

ME

Ratione o-  
nerum.

Centuria.

